




9
12



XIX.

I. N. J.
DISPUTATIO THEOLOGICA
ANTI-CALVINIANA
DE
BAPTISMO,

Quam
In illustri Academia Wittebergensi
Sub PRÆSIDIO

V I R I
Maximè Reverendi, Amplissimi, atq; Excellentissimi

DN. JOHANNIS Deutschmanni /
S.S. Theol. Doct. ejusdemq; Professoris Publici cele-
berrimi, nec non Alumnorum Electoral. E-

phori gravissimi,
Domini Patroni, Præceptoris & Studiorum suorum
Promotoris & Benefactoris, filiali cultu locoq; Parentis
devenerandi,

Publico Eruditorum Examinĩ ventilandam
proponit

URBANUS Rothe

Jutreb. Sax.

Ad D. Martii Anno M. DC. LXVII.

In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ Typis JOHANNIS BORCKARDI.

*Viris Eruditissimis
Amplissimo, Spectatissimis & Prudentissimis,*
DN. GEORGIO *Sanzlandt*
Laudatissime Reipubi. Torgensis
Judici meritissimo,

Ut &
DN. JOHANNI SAMUELI
Kingenhayn/Civi apud Torgenses
Præcipuo & Juris Candidato di-
gnissimo,

Dnn. Patronis, Fautoribus ac Promotoribus suis sum-
mo observantiæ ac Honoris cultu pro-
sequendis

Disputationem hanc Theologicam

Dat, consecrat, offert.

Urbanus *Rothe*
Jutrebocensis Resp.

285.
ARTICULUS NONUS
DE BAPTISMO.

I. **D**E Baptismo docent Ecclesiæ nostræ, juxta *Confess. Aug. (1)* *Disp. XI. Resp.* quod sit necessarius ad salutem. Huic doctrinæ cum *Reformati* *URBANUS* *ROTHE,* *Jutrebocensis Saxo.* *Papistis,* sed etiam *Nostri-* *tibus* contradicant, merito *B. Hoens* ex hoc dissidium eorū ab *A.C.* probavit, & fictam *A.C.* societatem impugnavit. Producit a hac in causa *Anton. Sadeel in resp. ad fid. Profess. Burdegalens. ad art. II. p. 87. 88. Beza in Coll. Momp. p. 434.* ne quicquam *Reformatis* asingere videatur, quod perpetuo contra nostros clamitant.

II. *Examinator* noster hanc causam ad antecedaneā & succedaneam tractationem removet, & de ea h. l. nullum verbum facit. Dist. a. inter necessitatem absolutam & hypotheticam Baptismi; non hanc, sed illam, à *Reformatis* negari contendit. Ita n. *Menzero* respondet p. 402. *Non quamvis, sed absolutam necessitatem negant, quam omnes debent negare, qui infantes fidelium, al quo casu sine Baptismo decedentes, damnatis nolunt accensere.* Et p. 810. eandem distinctionem contra *Prussos* repetit, posteaq; subjungit: *Baptismus est necessarius ad salutem, ex hypothese divina voluntatis. Quæ vocatur necessitas mandati. Nempe quia Deus instituit, & usq; ad consummationem seculi vult observari in Ecclesia, ideo est medium à parte nostra necessarium, quod sine peccato negligi non potest, si legitime haberi queat: imo contemptus est cum salutis periculo conjunctus.* His de causis, inquit *Ecclesia Belgica in sua confess. art. 34. credimus omnem hominem, qui vitam eternam consequi cupiat, debere unico baptismo, i. e. semel tantum, baptizari. Verum baptismus non est simpliciter ad salutem necessarius, quasi nemo servari queat, qui non est baptizatus.* Hæc sunt illa, quibus *B. Hoens, B. Mentzero & Prussis* *examinator* satisfieri putat.

III. Verum fallū quod inter *Nos & Reformatos,* de absoluta Baptismi necessitate, controversia moveatur. Nec ex ullo *Lutheranorum* id probat *Crocus*; Multo minus id à *Lutheranorum* sententia recedit, quod infantes fidelium aliquo casu sine baptismo decedentes non sint damnandi, cum ipse *Crocus* adducat *Lutherum, Pomeranū, Mentzerum, Gerhardum, Brochmandum,* & præterea virorum aliorum istig



partis præclarissimorum mentionem faciat. An v. D. Crocius de omnibus fidelium infantibus id sincerè statuat, ipse viderit. Præstantissimi certe *Reformatorum*, id vel negant, vel de illo dubitant, utpote cum ex *absoluto electionis decreto* certitudinem de salute infantū deducant. Hinc alios infantes *Electos* esse, alios *reprobos* judicant. De *Electis* infantibus statuunt, quod vel in utero, vel statim atq; nati sunt, ratione abdita & ineffabili per Spiritum Dei Christo insiti morientes salventur 1. Cor. 12. 13. Perkin. in serie causarum sal. & damn. c. 35. p. 79. In reprobis v. infantibus executio decreti (reprobationis) Dei sic est: ubi primū nati sunt, ob primarii & nativi peccati reatum sibi relictī, **MORIENTES** reprobantur in aternū Rom. 5. 14. c. 9. 11. Conf. c. 53. p. 105. At Petrus Martyr class. 4. Loc. Comm. c. 5. sect. 16. eos penitus temerarios pronunciat, qui omnibus fidelium infantibus salutem adscribere velint. Neq; hæc, inquit, à me dici eò putanda sint, quod omnibus pueris fidelium, absq; Sacramento decedentibus, id pollicear: si n. id facerem, temerarius haberi possem. Illos divine misericordie judicandos relinqvo, cum de arcana electione & predestinatione mihi nihil constet, sed tantum hoc assero, **EOS** reverà servari, **IN** QVOS ELECTIO DIVINA INCURRIT, QVANQVAM BAPTISMUS NON INTERCESSEKIT. Et ceriè cum omnes infantes fidelium post Baptismum gratiæ & salutis participes asserere *Reformati* nolint, multo minus juxta illos hoc de infantibus ante Baptismum verum erit. Ursinus n. diserte scribit in Comp. p. 545. Neq; a. omnes, qui baptizantur aqua, sive adulti, sive infantes, gratiæ Christi sunt participes. Liber n. est aterna Dei Electio, & ad regnum Christi vocatio. Et Beza Coll. Momp. p. 435. Infantes merito baptizantur, & adoptionis fructu donari **PROBABILITER** censentur, relictis Deo arcanis suis iudiciis. Item t. 1. Oper. in Confess. c. 4. p. 29. Quod si quis objiciat, non omnes (infantes fidelium) esse electos, ac proinde non omnes esse sanctificatos, qui ex fidelibus parentibus nascuntur, quum ne Abrahami quidem, neq; Isaac liberos omnes Dominus elegerit, non deest, quod respondeamus. Et si n. hæc ita esse minime inficiamur, tamen arcanum hoc iudicium Deo relinqvendum esse dicimus, & in genere ex promissionis formula **PRÆSUMIMUS** sanctificatos esse, quicumq; ex fidelibus parentibus, vel etiam altero duntaxat fidei parente nati sunt, nisi quid obstat, unde contrarium colligi possit. Longe igitur meliori jure hæc de infantibus fidelium, ante baptismum denatis, sententia, quod non sint damnandi, *Lutheranis* tribuitur,

dicat, *Baptismum esse medium à parte nostra necessarium*, tamen vel serio ista non dicit, vel reliquis *Reformatis* aperte contradicit. Nam *Beza p. 2. Resp. ad Act. Coll. Momp. p. 115.* scribit: *Palpabilis est error, quo causativa, ut loquuntur Scholastici, vis conferenda gratie principalis quidem Deo, INSTRUMENTALIS v. Sacramentis tribuitur.* Idem alibi scribit: *Valde fallitur, & in Deum ipsum injuriosus est, quisquis aut hominibus, per quorum os Deus loquatur, vel ipso externo Dei verbo, vel Sacramentalibus signis, Deum existimat VEL TANTILLUM divinae illius VIRTUTIS SUAE hominibus renovandis, & aeternae vitae in Christo servandis attribue- re.* Et rursus *Coll. Momp. p. 469.* *Quos Dominus hoc modo non elegit, etiam si milles baptizarentur externo aqua Baptismo: illis tamen nunquam fides, aut Spiritus S. donatur, sed justo Dei judicio relictis, sua culpa pereunt.* Ipse *Calvinus* etiam *l. 4. inst. c. 15. §. 17.* *Fatemur Baptismum pro eo tempore non profuisse nobis hilum, quando in eo nobis oblatae promissio, sine qua baptismus nihil est, neglecta jacebat.*

VII. Denique ratione necessitatis, divinae voluntatis, mandati, vel ordinis divini, pariter linguam *Lutheranam* adsumunt, sed facto, & hypothesebus, orthodoxum sensum non obscure destruunt. Nam (1) *Mandatum* hoc, vel *ordo*, aut *voluntas Dei* de *Baptismo*, non saltem generaliter consideranda, sed ex mente Christi specialiter applicanda veniunt, cum non quemvis baptismum Deus voluerit, ordinarit & mandarit, sed eum, qui sit *medium spiritualis nativitatis Job. III. 5. lavacrum regenerationis Tit. III. 5.* At hoc negant *Calviniani*, sicut ex *th. 22.* manifestum. (2) *Deinde* cum *regeneratio*, secundum *Reformatos*, non ex *Baptismo*, sed ex *absoluto Electionis decreto* pendeat, *voluntas illa, ordo & mandatum Dei, de Baptismo, signi tantum erit, non v. beneplaciti.* Quod itidem *voluntati, ordini & mandato Dei* de *Baptismo* contrarium. (3) *Cum Calviniani* manifestissima dicta de *Baptismo* detorqueant, proprium sensum in figuratum, seu improprium, commutent, sicut ex *Calvino*, & aliis ejus *hyperaspistis*, est manifestum, nemo certe dubitat, qui rem ipsam considerat, eos etiam, quantum ad *hypotheses, & dictorum scripturae explicationes*, hunc necessitatis gradum evertere. Ac proinde ex demonstratis elucescit, falsum esse, quod *Crocus* praetendit (1) *Lutheranos*, quos oppugnant *Reformati*, *absolutam Baptismi necessitatem* asserere. (2) *Calvinianos* tantum *absolutam, & non hypotheticam Baptismi necessitatem* impugnare.

8. Quid

VIII. Quod a. Belgica Confessionis testimonium ex art. 34. à Crocio productū attinet, illud de *Baptismalis actus unitate*, contra Baptismi repetitionem agit, non v. de *Baptismi necessitate*, cum hoc evincant clara verba, quod *debeamus unico Baptismo, i.e. semel tantum, baptizari*, & ipsa consequentia docent, quod hic contra *Anabaptistas* fidei confessionem edant, quia subjungunt: *Anabaptistarum itaq; errorem detestamur, qui unico & semel suscepto Baptismo contenti non sunt. Si Crocio idem videretur, contra Anabaptistas unitatem actus baptismalis sine reiteratione asserere, & necessitatē baptismi hypotheticam contra Pontificios, vel etiam, nescio quam fictam necessitatem contra hypotheticam Lutheranorum adstruere, more suo ineptiat, nobis hæc sunt maximè diversa. Qualem a. Belgæ Baptismi necessitatem statuunt, non obscure d. l. pronunciant, nim. non aliam, quam à reliquis Calvinianis adducitur. Mandavit (Christus) inquit, ut omnes, qui sui sunt, in nomine P. F. & S. S. pura pura aqua baptizentur: ut & significet, quod sicuti aqua in nos effusa, & super corpus baptizati conspicua, ipsumq; aspergens, sordes corporis abluit: sic & sanguis Christi per Spiritum S. idē præstat interne in anima, adaspergens eam, & à peccatis suis mundans, nosq; ex filiis iræ in filios Dei regenerans. Non quod aqua materialis id efficiat, sed aspersio preciosi sanguinis filij Dei, qui nobis est, ceu mare illud rubrum, per quod transeundum est, ut è tyrannide Pharaonis, i.e. Diaboli, egredi, & in spiritualem terram Canaan ingredi possimus. Ac proinde Ministri quidem, quantum ad se attinet, præbent nobis sacramentum & rem visibilem, Dominus verò noster donat id, quod sacramento significatur. Hæc & alia ibi producta novi nihil afferunt, sed enumeratos supra Reformatorem errores satis apertè adstruunt.*

IX. Deniq; quod B. Hoëus, pro adstruenda necessitate Baptismi orthodoxa & hypothetica, d. ctum Christi manifestissimum urget Job. III. 5. *Nisi quis ex aqua & spiritu renatus fuerit, non potest ingredi regnū cælorum*; in eo a. Calvinum reprehendit, quod necessitatem Baptismi dicto præsentis confirmari, concedere nolit, id phrasi Crociana exagitare significat. Quod Calvinum exagitat, pergit, hoc argumento, quod verba Christi Job. 3. 6. *non accipiat de necessitate Baptismi, admodum leve est. Non n. Confessio adserit, eo loco per aquam baptismum intelligi: & è nostris non pauci mecum de Baptismo exponunt. Verum sicut malus animus mala verba trudit, ita Crocius h. l. exagitandi crimen in B. Ho-*



eam conjicit. Nulla in verbis, nulla in rebus exagitationo occurrit, sed nude *Calvini* mentionem facit. Hoc ut lectori pateat, ejus adscribenda verba: Und ob Er (Christus) wol darzu seht: Es sey dan/das jemand wiedergeboren werde/aus dem Wasser un dem H. Geist/so könne er nicht ins Himmelreich kommen/so wil doch *Calvinus lib. 4. inst. c. 16. S. 25.* nicht zugeben/ das diese Wort von der Nothwendigkeit der H. Taufe zu verstehen seyn. Si verbis his exagitationo adscribenda, quid *Crocio* nostro tribuendum erit, qui saepius durissima scommata in *B. Hoewus* effundit. Scapham dicere scapham, & *Crocium* vocare *Crocium* nulla penitus exagitationo. *B. Hoewus* librum, caput, paragraphum adscripsit, unde hunc errorem *Calvini* descripsit, neq; *Crocio* hoc negare, vel refutare potest, solum igitur exagitationis trivolum commentum *Calvinum* non absolvit. Nec illud magni refert, quod *Confessio* non asserat exsertis verbis, eo loco per aquam baptismum intelligi: na *Confessionis* hoc non erat institutum, omnium dictorum sensus adducere, sufficit hoc, quod omnes *Confessionis* autores hanc *Confessionis* particulam in dicto Christi fundatam voluerint, eamq; hoc modo explicuerint. Hinc cum ipse *Crocio*, dicti claritate convictus, cum aliis non paucis a falsa *Calvini* sententia recedat, facile quilibet deprehendet, quia conscientia ab *Aug. Confess.* sensum alium expectare, aut verbis ejus peregrinum sensum imputare noster *Examinator* velit.

X. (II) Deinde *B. Hoewus Reformatorum* fundamentum, quare Baptismi necessitatem, qualem *Lutherani* statuunt, oppugnent, adducere voluit, quod fingant, *infantes fidelium esse in foedere Dei, existentes etiam in utero matris.* *Examinatori* nihil hoc loco libet afferre, sed responsionem, quam hic sufficere putat, in c. 62. p. 816. rejicere voluit. Praesupponimus a. quod de infantibus Christianorum in utero, vel statim post natiuitatem ante Baptismum denatis, nulla sit controversia, quia *Crocio* ipse fatetur *Autores & Approbatores Aug. Conf.* in eo consentire, *Infantes Christianorum, qui sine baptismo moriuntur, non damnari,* sicut ea de causa *Concord. Witteb. A. 1536. Johan. Brentium in catech. Lat. p. 35. Colloq. Ratisbon. B. Hunnij relat. histor. lit. d. 2. Corpus Pruten. cap. de Sacram. in genere & Bapt. Job. Wigand. in Sacram. fol. 51. 52. Timoth. Kirchner. in Enchir. fol. 183. allegat p. 817.* Deinde neq; de extraordinario casu privationis, sed de ordinario sacramento regenerationis est sermo, cum omnes *Lutherani* doceant, non privationem, sed

sed contemptum Baptismi damnare. Hoc igitur est, quod controversum manet inter Nos & reformatos: An Deus ordinarie non per Sacramentum Baptismi, tanquam lavacrum regenerationis, Christianorum infantes, quibus Baptismus contingit, sed ante Baptismum etiam in utero matris immediatè regeneret, & in fœdus recipiat?

XI. Affirmativam cum Reformatis D. Crocius defendit p. 816. eamque probat (1) ex Gen. 17. Illa illa (Scriptura) nobis dulcissimam promissionem memorat ex Dei ore profectam Gen. 17. Ego ero Deus tuus, & seminis tui post te: quam ad filios Abrahæ etiam recens natos, imò ante Sacramenti perceptionem in utero matris exstinctos, pertinere, nos quidem nulli dubitamus. Nobiscum aperte facit D. Gerhardus in Confess. Cath. l. 2. special. part. 2. art. 12. c. 1. p. 887. scribens: Deus promisit, se fore etiam seminis nostri Deum Gen. 17. 7. ubi vox seminis complectitur infantes, nondum in lucem editos. Verum Resp. dist. inter usum & abusum scripturæ: Scriptura nobis omninò dulcissimam hanc promissionem memorat, sed in sensu Calviniano neutiquam applicat, quia circumcissioni, & consequenter Baptismo fructum regenerationis ex ea denegant. (2) Dist. inter promissiones immediatas, & mediatas; extraordinarias, & ordinarias: hæc promissio ordinaria est, per ordinarium Circumcisionis sacramentum applicanda, adeoque non immediate à Deo, sed mediante divinitus instituto circumcissionis instrumento, juxta ordinem divinum ad id sancito. Hinc (3) falsum, quod hæc promissio in textu absolutè ita ponatur: Ego ero Deus tuus, & seminis tui post te: sed potius hæc tota promissio, si textum attendimus, respicit ad circumcissionis Sacramentum. Hoc ut eò clarius pateat, adscribam integrum v. 7. c. XVII. Et statui pactum meum (circumcisionis) inter me & te, inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno; לְהַיְוֹת לְךָ יְיָ אֱלֹהִים ad esse, vel ad existendum, vel propter esse, aut sicut Vulg. ut sim tibi in Deum, & semini tuo post te. Hæc si modo quis legerit verba, totiusque versiculi nexum attenderit, statim videbit, promissionem hanc divinam non esse immediatam, sed mediatam, non esse absolutam, sed respectivam, & non nisi per pactum hoc ordinarie divinitus promitti, nec ordinarie aliter, quam per circumcissionem, exhiberi. (4) Quod v. dicit, hanc promissionem etiam pertinere ad filios Abrahæ recens natos, illud vel de ordinaria, vel de extraordinaria relatione intelligit. Si posterius, alienum hoc est, cum de ista nulla

movea-

moveatur h. l. quæstio: si prius, ipsi Deo contradicit, qui hoc pactum circumcisionis instituit, ut infantes octavo demum die in fœdus reciperentur, & ut Deus etiam esset infantum Deus. Cur v. Deus in octavum diem hoc pactum differri voluerit, præsentis loci non est, hoc prolixè explicare, neq; nostrum est, ista curiosius indagare. Sufficiat nobis expressum Dei verbum. (5) Addit præterea infantes in utero extinctos, sed hoc itidem alienum, quia de iis nulla lis movetur *Reformatis*. Male igitur *Examinator* diversas quæstiones confundit. Deniq; (6) B *Gerhardi* testimonium *Papistis* est oppositum, qui *Baptismi necessitatem absolutam* urgent, & infantes Christianorum, ante baptismum morte præreptos, damnatos esse, & in certo inferni receptaculo contineri censent. His vocem *teminis* opponit. Sed hæc nihil ad *Reformatam* hanc Controversiam, qua vel circumcisionis, vel Baptismi fructus oppugnatur.

XII. (2) *Ex exemplis*. Cogitent pii, an Deus puerulorum Deus non fuerit, quos Pharaon in profluentem iubeat projici *Exod. 1. 22*. Non decernebat suspendendam tyrannidem, donec essent circumcisi; statim à nativitate debebant trucidari. Num tyrannus excluderet à promissione, si impediret circumcisionem? Quid factum putabis de infantibus in deserto sine circumcisione defunctis? toto n. peregrinationis tempore non erat in usu *Jos. 5. 5. 7*. Num illi ad unum omnes perierint? Quid de aliis, quos Antiochus interfecit *1. Macc. 1. 51. 64*. quosq; Herodes & ejus spiculatores ad mortem petierunt *Matt. 2*. Certe si baptismus simpliciter est ad salutem necessarius, illi omnes fuerint damnandi. Respondetur nemo nostrum simplicem necessitatem Baptismo adjudicat, frustra igitur contra nos *Crocus* de simplici necessitate disputat. Deinde omnia producta exempla sunt extrinseca, malè igitur nobis ista opponit, qui tantum de ordinariis loquimur. Et cum *Lutherani* æquè omnibus his infantibus salutem tribuant, prolixam istorum exemplorum recitatione supersedere potuisset, si disputandi regulas observare voluisset.

XIII. (3) *Ex aliis argumentis*. Cur igitur Deus in octavum diem circumcisionem differre voluit, intra quem multos esse vitæ defunctos, non est dubium. Respondetur, causæ nobis à priori non sunt revelatæ, licet varias *Patres* & *Theologi* colligant, sufficit hoc, quod Deo placuerit, ordinaria via infantes, ex *Abrahami* semine progenitos, octavo demum die per circumcisionis pactum in fœdus recipere. Hoc n. cum
reve-

revelatum sit, credendum, non negandum est, sicut reliqua, quæ revelata non sunt, ne utiquequam scrutanda veniunt, ne in his illicitè curiosi, in illis damnabiliter ingrati reperiamur.

XIV. At pergit: *Si illi servati sunt Dei bonitate citra circumcissionē, cur Christianorum pueruli servari simpliciter nequeant, si quodā casu priventur baptismo? Neq; n. durior fingenda est nostrorum infantulorum conditio, quam veterum, nec gratia N. T. parcior, quam veteris. Praesertim cum Deus non magis nunc, quam olim se alligaverit mediis in nostri gratiam institutis.* Resp. (1) illorum exempla fuerunt *extraordinaria*, quia diem circumcissionis vita non attigerunt. At ubi nullum præceptum, ibi nulla præcepti transgressio. Nos de *ordinariis* h. l. disputamus. Non de *absoluta* servandi potestate, sed de *ordinata* salvandi voluntate Dei h. l. disserimus, quæ malè confundit *Crocus*. (3) Neq; de *speciali* privationis casu, sed de *generali* regenerationis actu quæstio movetur, ut frustra *Crocus* iterum ad privationis casum refugium sumat. Hinc (4) falsum, quod à nostris fingatur *N. T. conditio durior, & gratia parcior*, quam in *V. T.* Fingit hæc *Crocus* ex falsis hypothesis & propriis conceptibus, ne utiquequam *v.* vel ex dictis, vel ex argumentis nostrorū ostendit. Deniq; (5) *Deum mediis neq; V. neq; N. T. temporibus alligamus, nos tamen ordinariè mediis divinitus ordinatis alligatos esse* censemus. Quæ duo maximè, si non *Crocio*, tamē omnibus veritatis studiosis sunt, & manent distincta.

XV. Ulterius infert: *Imo Deus in V. T. multis & potuit, & voluit consulere, quibus datum non est, uti Sacramento. Et hodie vel non possit, vel non velit? Sane quod velit, non solum latronis in cruce conversi exemplo docuit, sed etiam in institutione Baptismi. Cum n. Christus promissionem & comminationem esset additurus mandato, dicit quidem; Quicumq; crediderit & baptisatus fuerit, servabitur. At non dicit: Quicumq; non baptisatus fuerit, damnabitur; sed, Qui non crediderit, condemnabitur; quo argumento post alios nobiscum utitur Hasenrefferus, minime Calvinianus lib. 3. stat. 3. loc. 7. de Sacram. p. 478. D. Gerhard. omnibus fere argumentis utitur l. l.* Resp. Deus multis non tantum olim potuit, & voluit sine sacramentis consulere, sed adhuc hodie potest, vult, & facit, non quod sacramentis suis fructum promissionis ordinarium denegare, sed quod extraordinariam suam potentiam nobis omnib; manifestare velit, cum vere sit infinitus non tantum in essendo, sed etiam in operando. At extraordinaria non sunt regulis ordinariis, vel instrumentis divinitus ordinatis

opponenda, sed potius dulci quadam harmonia cum illis conjungenda. Quod a. sint hæc *extraordinaria*, monstrat ipsum *exemplū latronis*, à *Crocio* productum, quod verè fuit *extraordinarium*. Porro neq; *Christi* verba *Marc. XVI. 16.* verbis ejusdem *Job. III. 5.* sunt opponenda, cum *Christus* à seipso non dissentiat. Dicit a. expresse: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi regnum cælorum.* Hæc cum de *Baptismo aquæ* sint intelligenda, juxta *Crocium* p. 428. nihil certè clarius, pro regenerationis per *Baptismum* necessitate, dici potuisset. Quod v. verba *Marc. XVI. 16.* concernit. *D. Hasenreiff. d. l. eadem* disertis verbis de *casu necessitatis* exponit, in quæstione *de infantibus ante baptismum in casu privationis denatis*, quod non sint damnandi, cujus rationem 4. his verbis proponit: *Quia Deus non alligatus est Sacramentis, sed immediata, extraordinaria actione fidem & salutem illis conferre potest. Sicuti Baptistam adhuc in utero matris Spiritus S. replevit. Et quod velit dispensare, vel inde patet, quod Christus, qui dixerat, Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit: in altero membro Antitheseos (Qui v. non crediderit, condemnabitur) aperte quasi NECESSITATIS CASUS excipiens, Baptismi mentionem prætermisit.* Sed hic necessitatis casus nihil ad præsentem causam. Ad B. *Gerhardi* locum supra responsum est. Ex his omnibus concludimus, nihil solidi *Crocium* afferre potuisse, sive contra B. *Hoeū*, sive contra *Prussos*, quo fœderis divini, cum *Abrahamo* & ejus semine in circumcissione, cum Christianis in *Baptismo* pacti, violati reatum à suis removere valuisset. Rectissime igitur B. *Hoeus* eos reprehendit, quod sua hypothese, de infantium adhuc in utero existentium spirituali cum Deo confœderatione, verbis *Christi, Job. III. 6. Quod natum est ex carne, caro est, & v. 5. Amen, Amen dico tibi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi regnum cælorum,* apertissime contradicant.

16. (III) Quod hypothese, de duplici *Baptismo*, interno & externo A. C. *Calvinistæ* contraveniant, quæ saltem unum *Baptismum* agnoscit, juxta *Eph. 4. 5.* Quod a. *duplicem Baptismum* *Reformati* statuunt, probat disertis ipsorum verbis, ex *Beza Coll. Momp. lg. p. 437. & p. 2. Resp. ad Coll. Momp. p. 44. seq. Zvinglio t. 2. f. 70.* Et perspicuis argumentis (1) *ex dispensatore diverso*, quod uniuscujuslibet *Baptismi* peculiarem constituent dispensatorem, *externi* *Ministram Ecclesiæ*, *interni* ipsam *Spiritum S.* (2) *Ex substantiali medio diverso*, quia medium *externi* *baptismi* sit aqua, *interni* v. sanguis *Christi.* (3) *Ex finibus diversis*, quia *externus* *Baptismus*

Baptismus conferatur ob hunc finem, ut sit significatio factæ adoptionis in filios Dei, internus v. fiat ob receptionem, vel adoptionem in filios Dei. (4) *Ex diversis objectis*, quia baptismus *internus* ad animam pertineat, *externus* v. tantum ad corpus. (5) *Ex temporis diversitate*, cum *externus* fiat in infantia, præsertim apud nos in Ecclesia constituta, sed *internum* post aliquot demum annos consequi. Ex his omnibus firmissimum colligitur argumentum: *Q. diversos Baptismos, respectu dispensatoris, medi substantialis, adeoq; ipsius substantiæ, finium, objectorum & temporis introducunt, illi duplicem specie baptismum statuunt. At de Reformatis verum prius ex dictis: Ergo.*

XVII. Nimis hæc clara sunt, & lectori statim obvia, ideo ne quidē verba *B. Hoei* pro more solito adscribere voluit Noster, quo lectori veritas non primo statim intuitu pateret. At cum cæcutientes mordeat nimis veritatis splendor, ideo *Crocus* sub convitiōrū asylo tegmē quærit: *Cavillum*, inquit, *de duplici baptismo vide confutatum supra*. At egregiam videbit lector confutationem. *Nemini scribit, fere ignota est vetus distinctio Baptismi fluminis, fluminis, sanguinis. Nostri non faciunt duas Baptismi species, sed cum Apostolo Ephes. 4. unum Baptismum agnoscunt, in quo distinguunt rem terrenam à cælesti, causam principem à ministeriali, earumq; operationes. Num hoc pugnat cum Aug. Confessione? Ut Crocio condescendamus, & omnia subterfugia ipsi eripiamus, etiam his verbis satisfacimus. (1) Illa vetus distinctio satis communis est, sed Crocio, ipsiusq; causæ morbidæ medelæ nihil afferre potest, quia est sola nominis distinctio, & merè æquivoca: proprie Baptismus fluminis dicitur Baptismus, improprie & figurate, vel Metaphorice, reliqui duo Baptismi nomine veniunt: At Calvinianis hæc distinctio non est æquivoca in æquivocata, sed analogi in analogata, ita ut Baptismus internus sit verus baptismus, & baptismus externus etiam sit verus baptismus: uterq; Baptismus Reformatis dicitur sacramentū: at Baptismus fluminis & sanguinis, sacramenta non dicuntur. (2) Negat quidem Reformatos duas baptismi species constituere, sed unum Baptismum cum Apostolo asserere. Asserunt verbis, dogmatibus, hypothesibus & factis unitatem baptismi destruunt, & duas baptismi species introducunt, quod cum per *B. Hoeum* 5. rationibus sit demonstratum, quas *Crocus* refutare nō potuit, nos ulteriores probationes non adjicimus. (3) Aliud deniq; est distinctio, aliud separatio. Nos etiam actionem Dei & ministri, materiam*

*caelestem & terrestrem, operationem sacramentalem & naturalem, distingui-
mus, at ne utiqvam temporis, loci, aliarumq; circumstantiarum, imò i-
pſius ſubſtantiae & ſacramentalis unionis ratione, ſeparationem admitti-
mus, quod faciunt Reformati, qui talem ſeparationem introducunt,
ſicut ex dictis eſt manifeſtum. Et hoc omnino A.C. adverſum.*

XVIII. Hoc loco v. testimonio quodam Lutheri Beza succurrere
conatur: *Hic nihil addo, niſi quod Beza loquendi formam communem ha-
bet cum Luthero. Is internum & externum nominat. Verba ſunt t. 2. Je-
nenſ. lat. lib. de Capt. Babyl. Verum turpe eſt non perſpecta tota lege fer-
re ſententiam, ita inhoneſtum non allegato integro quodam dicto,
verba quaedam auctoris in alienam rapere ſententiam. Fraus Crocii pa-
tebit, ſi verba Lutheri integra adſcribantur: Ex his, inquit perſpicue di-
ſcernere poſſumus, quid inter miniſtrum hominem, & autorem Deum, inter-
ſit in baptizando. Homo n. baptiſat, & non baptiſat. Baptiſat, quia perſicit
opus, dum mergit baptiſandum. Non baptiſat, quia non fungitur in eo ope-
re ſua auctoritate, ſed vice Dei. Unde oportet nos baptiſmum de manu ho-
minis non aliter ſuſcipere, quam ſi ipſe Chriſtus, imò ipſe Deus nos ſuis pro-
priis manibus baptiſaret. Non n. hominis eſt, ſed Chriſti & Dei baptiſmus,
quem recipimus per manum hominis. Sicut quaelibet alia creatura, qua u-
timur per manum alterius, non eſt niſi Dei. Cave ergo, ſic diſcernas baptiſ-
mum, ut externum homini, internum Deo tribuas, utrumq; ſoli Deo tribue-
re, nec conferentis perſonam aliam, quam instrumentum vicarium Dei ac-
cipe, per quod Dominus in caelo ſedens, te in aquam ſuis manibus propriis
mergit, & remiſſionem peccatorum promittit in terris, voce hominis tibi
loquens per os miniſtri ſui. Ex quibus manifeſtum eſt (1) quod B. Luthe-
rus h. l. non agat, de Baptiſmi externi & interni, ſed de cauſa principalis
& miniſterialis diſtinctione, quod prima oſtendunt paragraphi verba,
& declarant paragraphi ſequentes. (2) Diſtinctionem hanc non ſenſu
Calviniano proponit, quaſi miniſter externum, Deus internum bapti-
ſmum diſpenſet: ſed potius hanc ſententiam refutat; Cave ſic diſcer-
nas baptiſmum, ut externum homini, internum Deo tribuas: ſed alia dif-
ferentia $\gamma\omega\epsilon\lambda\sigma\mu\alpha\tau\alpha$ oſtendit, quod (a) Deus ſit autor, homo miniſter
baptiſmi: (b) quod Deus in eo auctoritate ſua fungatur, miniſter verò
baptiſet, opus perſiciendo, baptiſandum mergendo, & in eo opere nō
ſua auctoritate, ſed vice Dei fungendo. (γ) quod Baptiſmum de manu
hominis ſuſcipiamus, ſed non aliter ſuſcipere debeamus, quam ſi Deus,
vel*

vel Christus nos propriis manibus baptifaret. (d) quod ipse Baptismo non sit hominis, sed Christi & Dei, quem per hominis manum recipiamus. (e) quod conferentis persona sit instrumentum vicarium DEI. Quæ omnia ostendunt, quod tantum B. Lutheri orthodoxa differat à Reformatorum doctrina, quantum veritas à mendacio, orthodoxia ab heterodoxia. (3) Licet B. Lutherus distinctionis baptismi, in *internum & externum*, mentionem faciat, tamen potius eam refutat, quam ut assertivè producat. Cave sic discernas Baptismum, ut externum homini, internum Deo tribuas. Sicut eodem modo suam mentem in Catech. Maj. p. 537. exponit: Interrogatus, quid Baptismus sit? ita responde. Non esse prorsus aquam simplicem, sed ejusmodi, quæ verbo Dei, præcepto Dei comprehensa, & illi inclusa sit, & per hoc sanctificata, ita ut nihil aliud sit, quam Dei, seu divina aqua, non quod aqua hæc per se quavis alia sit præstantior, sed quod ei verbum ac præceptum Dei accesserit. Quapropter MERA SYCOPHANTIA est, & DIABOLI ILLUSIO, quod hodie nostri novi Spiritus, ut blasphemant, & contumelia afficiant Baptismum, Verbum & institutionem DEI ab eo DIVELLUNT, nec aliter intuentur cum, quam aquam è puteo haustam, ac deinceps ita blasphemò ore blaterant: Quid verò utilitatis manus aquæ plena præstaret animæ? Quis verò adeò vecors & inops animi est, qui hoc ignoret, divulsis Baptismi partibus, aquam esse aquam? Quæ v. fronte tu tibi tantum sumis, ut non verearis, ab ordinatione Dei preciosissimum κειμήλιον avellere, quo Deus illam constrinxit & inclusit, neq; inde divelli vult, aut sejungi? Quippe verbum Dei, aut præceptum, item nomen Dei in aqua ipse solet esse nucleus, qui thesaurus ipso cælo & terra omnibus modis nobilior & præstantior est. Ad hunc ergo modum ITA DISCERNE, longe aliam rem esse Baptismum, atq; omnes alias aquas: non naturalis essentia gratia, sed quod huic aliquid præstantioris rei adjungitur. Ipse n. Deus Baptismum suo honestat nomine, suaq; virtute confirmat. Eam ob rem non tantum naturalis aqua, sed etiam divina, cælestis, sancta & salutifera aqua, quocunq; alio laudis titulo nobilitari potest, habenda & dicenda est. Et p. 539. inter alia gravissimis verbis omnes Christianos exhortatur: Quare iterum atq; iterum repetens moneo. NE HÆC DUO, VERBUM ET AQUAM ULLO MODO DISJUNGI ATQ; DIVELLI PATIAMUR. Separato enim verbo, non alia est aqua, atq; illa, quæ in culina ad elixandas carnes culina præfecta utitur; potestq; non male balneatorum dici Baptismus. Caterum conjuncto

Verbo, sicut Christus ordinavit & instituit, tum Sacramentum est, ac Christi Baptismus dicitur. Et hæc prima hujus institutionis pars sit de essentia & dignitate hujus sacramenti. Et hoc etiam Catechumenis inculcat in Catech. min. Ohne Gottes Wort ist das Wasser schlechtes Wasser/ und keine Tauffe: aber mit dem Worte Gottes ist es Eine Tauffe, das ist ein gnadenreich Wasser des Lebens/ und ein Bad der neuen Geburt im H. Geist. Quod verò (4) vocem *Utrumq;* concernit, quam Crocius respicere videtur, cum distinctis literis in *B. Lutheri* verbis eam notaverit, illa præcedentem distinctionem respicit, quæ cum non sit *B. Lutheri*, sed aliorum, vox *Utrumq;* in tantum admittitur, ut tam quod externum, quam quoad internum nuncupatur, principaliter utrumq; ad Deum, instrumentaliter utrumque ad Hominem referatur.

XIX. (IV) Urget *B. Hoëus* verba Confessionis, quod in genere dicitur, pueros esse baptizandos, & quod per Baptismum oblatis Deo recipiantur in gratiam. His contrarium docere Reformatos, infantes non regenerari per Baptismum *Coll. Momp. p. 434. 435. Calvin. l. 4. instit. c. 15. interni baptismi fructum ad solos Electos pertinere Ursin. in Comp. p. 545. non electis nihil prodesse baptismum aquæ, tamen si millies baptizentur Coll. Momp. fol. 469.*

XX. Ad primum respondet Crocius: Nos minimè negamus, infantes regenerari per Baptismum. Verum superius disput. 5. tb. 16. diversum demonstratum verbis Reformatorum propriis (1) quod negent, Baptismo fieri peccatorum ablutionem tb. 16. (2) homines per baptismum filios DEI fieri, cum ante baptismum jam existant tales tb. 17. Et præterea asserant. (3) Baptismum esse nudum signum, vel tesseram tb. 18. (4) Infantes Christianorum esse in Ecclesia ante Baptismum tb. 19. Ex quibus omnibus facile patet, quod falsum sit, juxta Reformatos infantes Baptismo regenerari, unde ad clara suorum verba nihil, præter nudam negationem, Examiner afferre potuit.

XXI. Ad alterum regerit: De reprobis nihil habet confessio, an, vel quousq; eis proficit Baptismus. Præsupponimus hoc, quod de adultis hic nullum fiat verbum, cum ipsa Augustana Confessio de puerorum Baptismo, ejusq; fructu loquatur, & ex eadem *B. Hoëus* idem repetat; tum quoad *th. 16.* tum quoad *Antithesin*. Jam satis dilucide apparet, quod hanc quæstionem in A. C. decisam reperiamus, quia Confessio (1) statuit in genere, pueros Christianorum esse baptizandos: & (2) omnes il-

los

los baptizatos pueros per baptismum Deo offerri, & in gratiam ab eodem recipi. Omnes igitur pueri per Baptismum à Deo recipiuntur, & verè regenerantur, nulli v. per absolutum reprobationis decretum à fructu baptismi, spirituali sc. regeneratione, excluduntur. Reprobi certe, quatenus ut pueri baptizantur, vere regenerantur, licet spiritum regenerationis adulti facti suis sceleribus rejiciant, & voluntaria malitia beneficio regenerationis excidant. Ultraque igitur quaestio ex his clara, *An reprobis prosit baptismus? Affirmat hoc Confessio*, quia omnes pueri per Baptismum Deo offeruntur, & ab eodem in gratiam recipiuntur. Deinde *quousque prosit Baptismus?* Donec nim. spiritum regenerationis ejiciant, & beneficio regenerationis excidant. Hoc ut definiret *Confessio*, non erat necessum, quia illa de fructu ipso, non de fructus duratione differere volebat. Neque hujus quaestioni ullam mentionem injecerat *B. Hoens*, unde nisi noster *Examinator* aliena immiscere, & frustraneum aëris ictum tentare voluisset, merito penitus eam omittere debuisset.

XXII. Denique concludit: *Ideo alienum prorsus, quod ex Beza objicitur, non Electis baptismum non prodesse. Num Simon Magnus fuit regenitus? Num hypocrita regignuntur per Baptismum?* Respondetur: Non alienum hoc esse, de reprobis in infantia regeneratione juxta *Confessionem* agere, & ipsam *Confessionem* errori *Reformatorum* opponere, *ib. preced.* demonstratum. Sed hoc *Crocio* revocamus in memoriam, non esse sermonem h. l. de reprobis, vel non *Electis adultis*, sed de reprobis, quos inter Christianorum liberos Baptizatos *Reformati* fingunt, *infantibus*, vel etiam de reprobis adultis, *ratione status infantilis*, in quo baptizantur & regenerantur, consideratis: ac propterea vere sunt aliena, quæ noster *Examinator* de *Simone Mago*, & *hypocritis* affert. Certè nec *Simon Magus* fuit tum infans, neque infans, quia tales, sunt hypocritæ. Pudeat igitur tantum, tamque gloriosum *Examinatorem* merè confusa & aliena solum *ἀμετρίαν ἀβολίης* profundere!

XXIII. *Simonem Magum* quod concernit, variæ & discrepantes Doctorum de eodem sunt sententiæ, quas hac vice producere nostri non est instituti. *Examinatori* v. nostro hac vice ipsum *Calvinum* l. 3. *instit.* c. 2. *sect.* 10. opponimus; *Credidisse*, scribit, *dicitur Simon Magus, qui tamen suam incredulitatem paulo post prodit. Quod fides illi tribuitur, non intelligimus cum quibusdam, simulasse verbis, quam in corde nullam haberet: sed potius arbitramur Evangelii majestate victum, qualemcumque fidem adhibuisse, atque ita*

Cbri.

Christum, vitæ & salutis authorem, agnovisse, ut libenter illi nomen daret. Eo-
 de modo credere ad tempus dicuntur in Evangelio. Luc. 8. 7. 13. & c. Hanc ob
 causam etiam Calvinus in censuram Pelargi incidit, qui super Act. Apost.
 p. 178. Calvini sententiam refellit. *Conversio* (Simonis Magis) ut ut Johanni
 Calvino minime videtur esse ficta, eo quod objurationi cesserit, & tacitus pec-
 cati sui sensu Dei metuerit iudicium, seq; precibus Ecclesie commendavit, non
 tamen existimanda est, fuisse seria aut vera: quia nullam ipse pollicetur vitæ e-
 commendationē, sed intercessores cupit Apostolos: cum tamen irrita pro nobis sint
 aliorum preces, nisi ad Dominum revertamur. 2. Quia veterum constans est
 sententia, quod Magus hic perpetuo, ut reliquorū fideiū, ita maxime Petri fue-
 rit Adversarius, sicut præter Clementis Romani narrationē, qua totius tridui
 disputationem inter Petrum & Magnum habitam descripsit, Epiphanius etiā
 tom. 1. Niceph. l. 2. c. 27. & 36. & August. Epist. 16. annotarunt. Conf. p. 172.

XXIV. Ad hypocritas deniq; quos hic nobis objicit *Examinator*, con-
 vertimur. Certum est, hic de infantum regeneratione in Confessione nō tan-
 tum, sed etiam in B. Hoei *Collatione* sermonem esse. Num v. Crocius inter
 infantes hypocritas in *Hassia* reperiatur, ipse noverit. Nos simplices, non
 Hypocritas esse infantes, duce veritate, judicamus. Quod v. nobis tacite
 illam sententiā affingit, quasi statuamus, aut quasi ex orthodoxia nostra
 sequatur, omnes hypocritas adultos etiam regenerari, suo, h. e. sophisti-
 co, more facit. Hoc n. pueri nostri ex *Compend. Theol. Hutteri loc. de Bapt.*
q. 13. refutant, quando quæritur: *Anne v. statuis omnes adultos baptizatos*
æque regenerari, atq; infantes? Respondeo per distinctionem, si nimirum adul-
ti corde verè credunt, uti ore professionem fidei edunt, tum vere salutarem
percipiunt Baptismum: Sin v. dolus, aut hypocrisis subest, tum verum quidē
Baptismum, hoc est, integrum quoad substantiam, sed non salutarem fructū
percipiunt. Nam citra fidem nihil prodest Baptismus; & sola fides personam
dignam facit, ut hanc salutarem & divinam aquam utiliter suscipiat. Non
equividem negamus, Huberum olim in hunc de universali hypocritarum in
baptismo regeneratione gravissimum errorem incidisse, interim tamen B.
Hunnius, aliiq; orthodoxiæ Lutheraniæ defensores, hunc & alios errores
in Hubero statim notarunt, eosq; refutarunt. Sicut a. reliqui Huberiani
errores, de Universali justificatione, de Universali electione & c. nihil cum
orthodoxia Lutherana commercii habent, sed in omnibus libellis theo-
logicis rejiciuntur, ita quoq; universalis Baptisatorum adultorum regene-
ratio, vel regeneratio hypocritarum sine fide, nullū apud nos invenit locū,
 sed utramq; ceu dogmata damnata, vel explosa, repudiamus.

Baptismus Domini ter nobile Sacramentum ;
 Sanguine purpureo flumina sacra rubent.
 Sanguine purgatur peccatum sanguinis atrox ;
 Nobis sic lotis crimina nulla nocent.
 ROTHIVS ista docet, de fontibus Israelis
 Verba notans, Christi sanguine scripta rubro.
 Pergat in his Christi sic exercere labores,
 Olim sic Christi rite minister erit.

Johannes Deutschmann D.

Peccati sordes primo à nostrate Parente
 Manârunt, totum quæ maculâre solum ;
 Ast latere à Christi transfosso fluxit & unda
 Per quam nunc purus redditur omnis homo.
 Scilicet in sacro Baptismo à labe lavamur,
 De quo Te doctè disseruisse juvat.
 Laudo conatum ; Faxit Moderator olympi,
 Ut ferat hoc specimen commoda multa tibi.

Hac lubentissimo animo Dno. Respondenti, Commensali suo charissimo adponere voluit

M. Petrus Stamm
Halberstad. Saxo.

Kling-Gedicht.

Die Frucht zeugt von dem Baum. Wer Kunst und Tugend heget
 Liegt nichts im Winkel stets ; Er schwingt sich auß dem Staub
 Der Ehren-Pforten zu / bis Er das Lorbeer-Laub /
 Des müden Fleißes Lohn hinweg bekröhnet trägt.
 Darumb wen jener sich auff's sachte Lager leget /
 Denckt Er der Weißheit nach : Wen jener blind und Taub
 Der Faulheit Trommel folgt ; sieht er nach solchen Raub /
 Der Ihn ins Sternen-Buch der Ewigkeit ein præget !
 Wenn du nun werther Freund ich öffentlich auffsteigest /
 Zusagen von der Tauff ; wie dieses heilige Bad
 Zum Himmel unß einweih ; und allerley unflat
 Der Sünden wasche ab ; was ist's ? als daß du zeigest /

Wie

Wie du der Tugend nur stets nach gestiegen seist?
Fahr fort; der Himmel schon den stolzen Lohn dir weist!
Mit diesen wenigen bezeuget glückwünschend seine
Schuldigkeit gegen seinen befreundten Herrn
Strubengesellen

Daniel Trollitz

Witt. Phil. Stud.

Nes Ich aus Dacien dem sehr entfernten Lande
Gelanget erstlich hin/ in diesen Teutschen Sande/
Absonderlich alhier / wo der Minerven zelt
Geschlagen stehen auf/ und Pallas wohnung helt/
Bin Ich als frembdling erst mit dir in Freundschaft kommen!
Du hast mich dir so bald zum Freunde angenommen/
Weil daß denn dazumahl geschehen ist von dir
Weil Ich auch ungescheit dir meine Reimen hier
Aus Schuldigkeit und Pflicht/ zu deinem Fleis ablegen/
Gott geb dir Heyl und Glück / auf allen deinen wegen
Er segne deinen Fleis/ dein arbeit deine Müh
Daß du mögst seine Gnad abmercken spat und früh
Dis ist mein schlechter Wunsch/den Ich dir zu thu schreiben/
Gott laß ihn werden wahr / und bey dir auch verbleiben
Er schenck dir seinen Geist / daß du mögst allezeit
Erlangen / was dich macht an Leib und Seel erfreut

Diese wenige worte setze guttherzig

Georgius Colbius

von Cronstad aus Siebenbürgen / der
Weltweisheit zugethaner

DEclares, cathedram scandens, studia atq; labores
Sed quam materiam? Nonne SALUTIS AQVAM?
Sumis? Laudis opus! fausto conamine scande;
Sic studio laudis præmia larga feres.
De quo conatu tenui Tibi carmine grator;
Utque Tibi cedant prospera cuncta, precor.

*Hisce paucis Amico suo fraternè dilecto
gratulatur*

Renatus Daniel Longolius

Lipsiensis Misnicus.

99 A 69 12

ULB Halle 3
002 721 678



VD 17

Rehr a Kann.

sb.





XIX.

I. N. J.
DISPUTATIO THEOLOGICA
ANTI-CALVINIANA

DE
BAPTISMO,

Quam
In illustri Academia Wittebergensi
Sub PRÆSIDIO

V I R I
Maximè Reverendi, Amplissimi, atq; Excellentissimi

DN. JOHANNIS Deutschmanni /
S.S. Theol. Doct. ejusdemq; Professoris Publici celeberrimi, nec non Alumnorum Electoral. E-

phori gravissimi,
Domini Patroni, Præceptoris & Studiorum suorum
Promotoris & Benefactoris, filiali cultu locoq; Parentis
deverandi,

Publico Eruditorum Examine ventilandam
proponit

URBANUS Rothe

Jutreb. Sax.
Add. Martii Anno M. DC. LXVII.
In Auditorio Majori.

WITTEBERGÆ Typis JOHANNIS BORCKARDI.

